



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Antidota Evangelica contra horum temporum hæreses**

**Stapleton, Thomas**

**Antverpiae, 1595**

26. Non exies inde, donec soluas nouissimum quadrantem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39546**

23. *Si offers munus tuum ad altare.*

**D**ICIT hoc loco Calvinus, Christum pro illius seculi ratione de sacrificijs loqui, hodie dissimile esse nostram conditionem. Sed ut Christi doctrina eadem ac perpetua omnibus seculis sit, nec ad illud solū tempus restringatur quo Iudæorum sacrificia ad Dei cultum pertinebant, (quo nihil magis absurdum) necessario fatendum est non solum in quolibet pio opere ad Dei cultum destinato hanc legem valere (qui tantum tropologicus est huius loci sensus) sed Christum ad litteram de futuro in Ecclesia sua sacrificio externo (quod hæretici hodie agnoscere nolunt) hanc legem tulisse. Nam & nos habemus altare, de quo edere non possunt, qui deseruiunt tabernaculo; ait Paulus: de quo etiam sacrificio dicit: *Probet seipsum omnis homo, & sic de pane illo edat, &c.* Summa autem probationis pars est, ut omnis eum fratre similtas penitus aboleatur: quod hic imprimis Christum spectasse veteres interpretes annotarunt. Chrysost. homil. 16. ubi ait. *Audiant hi qui sacris mysterijs initiati cum inimicis ad communionem altaris accedunt.* Rursus hom. 11. operis imperfecti. Hilarius in Matth. Can. 5. & Augustinus lib. 1. cap. 20. de hoc serm. Domini in monte.

Sacrificijs  
in Eccle-  
sia exter-  
num.  
Heb. 13.

1. Cor. 11

26. *Non exies inde, donec solvas novissimum quadrantem.*

**D**E BACCHATVR hoc loco prolixè Calvini-  
nus contra Catholicos modernos, qui in per-  
petua huius loci allegoria purgatorium fabricant, quod ut  
inveniant, Diabolo fratres & amicos illos esse oportere ait,  
quia adversarium hoc loco Diabolum exponunt. Sed captio-

Catholi-  
corum ac-  
cusatio  
immerita.

D 4 sus

sus hæreticus aduertere debuit primùm paucissimos hodie esse qui hunc locum eo modo exponant. Deinde eos qui ad purgatorium ea verba accommodant, aduersarium hoc loco non pro diabolo accipere, sed pro spiritu qui concupiscit aduersus carnem, vel pro Dei præcepto quod peccatoribus aduersatur, de quo vide August. de ferm. Domini in monte lib. 1. cap. 22. Tertio hanc expositionem à veteribus accepisse, à Tertulliano in lib. de resurrectione carnis, & in fine libri de anima, & à Cypriano lib. 4. Epist. 2. Postremo

Scripturae  
per acco-  
modatio-  
nem à Pa-  
tribus ex-  
plicata.

& imprimis veteres Patres hunc locum ad purgatorium accommodasse, non quòd in eo vel solo vel potissimum purgatoriū fabricarent aut fundarent, sed quòd ad dogma fidei receptissimum comprobandum hanc Scripturam adferrent, tametli vel obscurior esset quàm vt sola certā fidem faceret, vel etiam alium sensum verum habere poterat, sicuti multas alias Scripturas in hoc ipso dogmate alijsque certæ fidei dogmatibus Patres adferre solent. Huiusmodi sunt, quòd Ambrosius versatilem romphæam flammeā ante Paradisum positā scribit significasse ignem futuri seculi omnes examinantem, & eos exurentem qui paleam cum tritico adiunctam deferunt: item quòd August. ex illis verbis Psal. 37. *Neque in ira tua emendes me* (sic enim legit pro eo quod nos legimus, *corripias me*) ait Dauidem deprecari pœnas emendatorias futuri seculi. Item quòd Basiliius illa verba Ioannis, *Ille baptizabit vos in Spiritu S. & igne*, interpretatur de igne in altero seculo purgante. Vel denique quòd Origenes verba Psal. 76. *Trāsuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium*, ad futuri seculi examen referat, & eorum, qui purgatione indigent, purificationem. Ex huiusmodi veterum interpre-

Serm. 20.  
in Psal. 118

Enarrat. in  
Psal. 37.

In lib. de  
Spiritu S.  
cap. 15.

Homil. 23  
super Nu-  
merum.

terpretationibus, tametsi Scripturæ alium sensum  
 primum ac verum habeant, illud tamen con-  
 stat, doctrinam de purgatorio fidei dogma recep-  
 tissimum apud illos veteres fuisse, ideoque Scri-  
 pturas perperam non exponi, tametsi minus ac-  
 comodatè, quando ad certum aliquod fidei dog-  
 ma applicantur. Attamen quomodo & quatenus  
 hic locus de purgatorio exponi possit, vide apud  
 Belarminum.

Cōtrouer.  
 tom. 1.  
 Cont. 5.  
 lib. 2. de  
 purgato-  
 rio cap. 4.

28. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum in ea, iam  
 mœchatus est in corde suo.*

**C**ATHOLICAM doctrinam de venia-  
 libus peccatis, quæ ab imperfectione  
 actus ita vocantur, seu de pravis deside-  
 rijs ac motibus omnem animi consensum delibe-  
 ratum anteuertentibus, taxat acerbè hoc loco  
 Calvinus his verbis. *Docemur hoc loco adulteros censeri  
 coram Deo, non tantum qui fixo consensu scortationem in  
 animis concipiunt, sed qui admittunt quasi punctiones.  
 Quare nimis crassa & supina est Papistarum hypocrisis, qui  
 concupiscentiam negant peccatum esse, donec totum cor assen-  
 tiatur.* Hæc ille. Sed quod Papistis obiicit Calui-  
 nus, doctissimis Patribus qui hunc locum sic intel-  
 lexerunt obijcere debet; imò & D. Iacobo, qui non  
 omnem concupiscentiam esse peccatum quod fa-  
 cit adulteros coram Deo, apertissimè docuit. *Con-  
 cupiscentia quum conceperit, parit peccatum: peccatum verò  
 quum consummatum fuerit, generat mortem.* Distinguit  
 disertissimè conceptus peccati, quæ sunt primæ  
 punctiones à partu, id est, ab ipso peccato, veniali  
 scilicet & imperfecto; & partum à consummatione,  
 id est, à consensu, qui solus ex se generat mortem,  
 & est mortale peccatum. Christum autè hoc lo-

Peccatorum  
 venialium  
 à mortali-  
 bus di-  
 stinctio.

Papistarum  
 nomine  
 Patres  
 suggillant.  
 Calvinus  
 Cap. 1.